



## Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos  
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rervm  
Christianarvm Memoria, Libri X**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Helmestadi[i], 1671**

Cap. XVI. De Menandro Mago, haeretico.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10968**

*Simon, Domini consobrinus. Irenæus. Interea adhuc superstes beatus Iohannes Evangelista præest ecclesiis Asiae, residens apud Ephesum, & permanet vivens usque ad tempora Trajani, ædificans ibi Ecclesias, quas Paulus primo ibi fundaverat. Hic Papiam & Polycarpum auditores & condiscipulos habet; qui etiam libros faciens & Epistolas, instituit eruditique plurimos. Quippe in ultimis vitæ temporibus scribit *Evangelium*, compulsus ab Asiae Episcopis, propter hæreticos, qui, eo exultante, irruperant in Ecclesias, cum variis ac perversis dogmatibus. Hac ergo occasione de nativitate Christi conscribit, pauca de temporalibus ejus gestis edisserens, tantum à cæteris Evangelistis prosequens omissa. Nam alii quidem tres, facta Domini prosequuntur, à carcere Ioannis Baptiste. Hic vero maxime ea, quæ primo Dominus per prædications tempus gessit, ante Ioannis incarcerationem. Multa vero de Trinitatis & unitatis mysterio profundissime instillat, ut diximus, adversum hæreticos, quorum errores tunc pullulaverant.*

## C A P. XVI.

*De Menandro Mago, hæretico.*

*Sub eodem namque tempore Menander quidam, Simonis Magi Samaritani discipulus, & ipse Samarites & Magus, blasphemо errore maculat Antiochiam, irridens immortalitatem animæ & resurrectionem mortuorum, semetipsum Salvatorem hominum esse assertens,*

renis, nec aliter posse unumquemque angelos seculi vincere, nisi prius à se Magicæ artis susciperet disciplinam, & quod per baptisma à se datum quisque sic immortalis, & æternus effectus, in hac vita fieret perpetuus.

## C A P. XVII.

*De Ebionitis hæreticis.*

**H**ujus quoque discipuli *Ebionitæ*, licet alterius sectæ, multos decipiunt, dicentes: Christum purum hominem esse, & communi nativitate ex viro & fœmina procreatum: cæremonias adhuc legis custodientes.

## C A P. XIIIX.

*De hæresi Cerinthi.*

**S**ed & *Cerinus* hæreticus nova introducit dogma, scilicet: terrenum fore regnum Christi in Hierusalem, & interim homines vitiis & concupiscentiis esse subiiciendos, & nuppiarum festivitates affuturas: ad eos facile decipiendos, qui sunt dediti libidini.

## C A P. XIX.

*De hæresi Nicolitarum.*

**S**urrexit præterea & alia hæresis, quæ appellatur *Nicolai*, illorum quæ à Nicolao, uno de septem Diaconibus, cum Stephano ordinatis, se jactavit.

## C A P. XX.

*Item de Nicolao hæretico.*

**H**ic autem Nicolaus, pulchram habens uxorem,

cum